Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ysa

mfeci. Quesiui residuum annorum meorum; dixi non uidebo dominum deum in terra uiuentium. Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis. Generatio mea ablata est et conuoluta est a me: quasi tabernaculum pastorum. Precisa e uelut a textrice uita mea dum adhuc ordior succidit me. De mane usque ad uesperam finies me ~~sicut pullum~~ sperabam usque ad mane quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. De mane usque ad uesperam finies me sicut pullus hyrundinis sic clamabo meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei; suspicientes in excelso. Domine uim patior responde pro me: quid dicam aut quis respondebit michi cum ipse fecerim. Recogitabo tibi omnes annos meos; in amaritudine anime mee. Domine si sic viuitur et in talibus uita spiritus mei corripies me et uiuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam ut non perires; proiecisti post tergum omnia peccata mea. Quia non infernus confitebitur tibi; nec mors laudabit te non exspectabunt qui descendunt in lacum ueritatem tuam. Viuens uiuens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie pater filius notam faciet ueritatem tuam. Domine saluum me fac et psalmos nostros cantabimus omnis diebus uite nostre in domo domini. Et iussit ysaias ut tollerent massam de ficus et cataplasmarent super uulnus et sanaretur. Et dixit ezechias. Quod erit signum quia ascendam ad domum domini. XXXIX

In diebus illis misit merodach baladan baladam filius rex babilonis libros et munera ad ezechiam audierat enim quod egrotasset et conualuisset. Letatus est autem super eis ezechias et ostendit illis cellam aromatum et argentum et aurum et odoramentorum et unguentum optimum et omnes apotecas. Supellectilis sue et universa que inuenta sunt in thesauris eius. Non fuit uerbum quod non ostenderet eis ezechias in domo sua et in omni potestate sua. Intrauit autem ysaias ad regem ezechiam et dixit ei. Quid dixerunt isti et unde uenerunt ad te et dixit ezechias. De terra longinqua uenerunt ad me. De babilone. Et dixit ysaias. Quid uiderunt in domo tua. Et dixit ezechias. Omnia que in domo mea sunt uiderunt et non sunt res quas non ostendam eis in thesauris meis. Et dixit ysaias ad ezechiam. Audi uerbum domini exercituum. Ecce dies uenient et auferentur omnia que in domo tua sunt et que thesaurizauerunt patres tui usque ad diem hanc in babilone non relinquetur quidquam dicit dominus. Et de filiis tuis qui exibunt de te quos genueris tollent et erunt eunuchi in palatio regis babilonis et dixit ezechias ad ysaiam. Bonum est uerbum domini quod loquutus est